



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Elephanciacum, Elwangen/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

doctus, vitæ honestate omnibus honestis ac bonis viris ex animo
 charus, Helii Eobani Hessii, Joachimi Camerarii ac aliorum
 nostri sæculi doctorum hominum monumentis celebris. Præ-
 fuit hæctenus censuræ typographicæ, unâ cum Domino Hiero-
 nimo Baumgartnero, Senatore clarissimo doctissimoq;. De ejus
 electione scripsit olim tale schediasma *Vincentius Obsopæus.*

Typogra-
 phica
 censura
 Noriber-
 ge.

Fausto bis denis (numerum censeto minorem)

Omne dilapsis annis, de Virgine Christo

Enato casta, citimo dum Luna sub axe

Discursat, quintam lucis ubi fulius umbram

Extulit effusa, fatis vol ventibus urnam

Rite Delim sortis, voto Fædricus amæno

Inauguratus pastorq; paterq; creatus

Cænobii, commissa sua regimina dextra

Usq; retenturus: donec fatalia vitæ

Stamina dissectis rumpat mors horrida fufis.



ELEPHANCIACUM, *Elwangeni* aliàs Elefancense, vel, ut
 hodie vocant, Elwangense magnificum ordinis Divi Benedi-
 cti ad Jagitam vel Jaxtum, Franconiaæ amnem in Virguna (hodie
Virgründ) situm, & à capto ibi tragelapho dictum monasterium,
 fundatum est anno Domini 764. ab Episcopo quodam Lingo-
 nensi, Hariolpho, quem Pipinus & Carolus Magnus, Galliarum
 Reges, charissimum habuere & Patrem salutare soliti sunt. Con-
 sequutus est Hariolphus fundator privilegia & corpora Sancto-
 rum Sulpitii & Serviliani martyrum à Papa Adriano. Invenitur
 hujus Hariolphi fundatoris in Elenfancensi templotale epita-
 phion:

Hariol-
 phus.
 Corpora
 Sulpitii
 & Serviliani mar-
 tyrum.

Clauduntur tumulo hoc Hariolphi Antistitis ossa,

Hunc qui fundavit jure locum proprio.

Pluribus erexit felix feliciter annis,

Viderboq; pius liquit honoris onus.

Sic postquam templi structuræ istius almi

Atq; ut cernendum struxerat ad placitum,

T 2

Idibus

*Chronologia
 Monasterio
 S. III*

*Idibus Augusti resolutus, somata plasti
Commendans Urano sarcea sicq; sablo.*

Harriedense cœnobium.

Eodem ferè tempore Harriedense cœnobium, in ejusdem nominis olim Imperiali, hodie Eistetenfis Episcopi oppido, ad Almonum annem sito, à Carolo Magno fundatum legitur, cujus primus Abbas *S. Deocarus* ibidem in medio templo humatus dicitur. De hoc cœnobio infra plura. Abbatum vero, qui Elephancensi huic cœnobio à prima fundatione præfuerunt, talis adhuc reperitur catalogus.

Series Abbatum.

1. *Hariolphus* fundator & primus Abbas sui cœnobii, Episcopus Lingonensis in Gallis.
2. *Viterbus*, secundus Abbas, factus est Episcopus etiam Augustanus. Obiit anno Domini 752.
3. *Grimoldus* legitur præfuisse annis octo.
4. *Othaldus*.
5. *Adelgerus*.
6. *Sonderadus*.
7. *Ermemicus*, composuit dialogum de vita & miraculis Hariolphi Episcopi & Abbatis.
8. *Berno*.
9. *Astericus*.
10. *Lindebertus* præfuit annis 15. & factus est Archiepiscopus Moguntinus.
11. *Hatto* præfuit 17. annis & eligitur in Archiepiscopum Moguntinum. Genere Rex Francorum.
12. *Adalbero*, Comes à Dillingen, præfuit annis 17. Fuit Imperatoris Ludovici III. pædagogus & Augustanæ Ecclesiæ Episcopus, vir eximie doctus. Obiit anno Domini 922.
13. *Girbertus* præfuit annis 22. Obiit anno salutis 944.
14. *Hermannus* eligitur anno 944. Præfuit annis 12. Obiit anno Christi 956.
15. *Hardobertus* præfuit annis 18. Migravit ex hoc sæculo anno Domini 974.
16. *Winitarius* eligitur anno 974. Præfuit annis 16. Obiit anno 990.

17. Geb-

17. *Gebhardus* eligitur anno 990. Præfuit annis octo & factus Episcopus Augustanus anno Domini 998. Abbatia gubernationem resignavit. Episcopatu ab anno 996. usque ad annum 1002. præfuit, quo ex hac mortali vita emigravit. Fuit S. Ulrici Episcopi Augustani facellanus.
18. *Harmannus* eligitur anno Domini 998. Præfuit annis 13. Obiit anno 1011.
19. *Bevengarius* eligitur anno 1011. Præfuit annis 15. Obiit anno Christi 1026.
20. *Odenbertus* constituitur in Abbatem anno 1026 Præfuit annis 9. Obiit anno 1035.
21. *Richardus* fit Abbas anno 1035. Præfuit annis 5. Obiit anno Salutis 1040.
22. *Aaron* eligitur anno 1040. Præfuit annis 20. Obiit anno 1060.
23. *Regnigerus* constituitur anno 1060. Præfuit annis 16. Obiit anno Domini 1076.
24. *Udo* eligitur anno 1076. Præfuit annis 14. Decessit anno 1090.
25. *Isembertus* designatur anno 1090. Præfuit annis 4. Obiit anno 1094.
26. *Adelgerus* eligitur anno 104. Præfuit annis 8. Obiit anno Salutis 1102.
27. *Ebo* eligitur anno 1102. Præfuit annis undecim. Obiit anno 1113.
28. *Richardus* ab anno Domini 1113. præfuit ad annum usq; 1118.
29. *Helmericus*, Comes de Oetingen, eligitur anno 1118. Præfuit annis 18. Obiit anno 1136.
30. *Albertus* de Ramsperg eligitur anno 1136. Præfuit annis 37. Obiit anno 1173.
31. *Albertus* de Khunigsberg constituitur in Abbatem anno Salutis 1173. Præfuit annis 15. Emigravit ex hac lachrymarum valle anno gratia 1188.
32. *Ghuno* eligitur anno 1188. Præfuit annis triginta, quo-

Y 3

rum

Chronologia
Monasterio
S. III

- rum aliquibus etiam Fuldensis cœnobii gubernator & Abbas fuit. Obiit anno Domini 1218.
33. *Godebaldus* eligitur anno 1219. Præfuit annis 9. Obiit anno 1228.
34. *Albertus* designatur Abbas anno 1223. Præfuit annis 12. Resignavit anno 1240.
35. *Sigefridus* Abbas eligitur anno 1240. Præfuit duobus annis & resignavit.
36. *Ruggerus* assumitur anno 1242. Præfuit annis 4. Obiit anno 1246.
37. *Godeboldus* five *Gothaldus* fit Abbas anno 1246. Præfuit tribus annis.
38. *Rudolphus* eligitur anno 1250. Præfuit sex annis.
39. *Otho* eligitur anno 1256. Erat nobilis de Schwabsperg. Præfuit annis quatuordecim.
40. *Conradus* eligitur anno 1269. Præfuit annis 9. & resignat.
41. *Richardus*, aliis *Eccardus* de Schwabsperg, eligitur in Abbatem Elefancensem anno Salutis 1278. Præfuit annis uno & triginta. Obiit anno 1309.
42. *Ernfridus* de Felberg eligitur anno Domini 1309. Præfuit duobus ferè annis.
43. *Rudolphus* de Pfalheim eligitur anno 1311. Præfuit annis viginti duobus.
44. *Chuno*, Baro de Gundelfingen, eligitur anno 1333. Præfuit 34. annis.
45. *Albertus Haack*, *Ingenius* dictus, eligitur anno 1367. Præfuit 33. annis & resignat.
46. *Sigefridus* assumitur anno 1401. Præfuit 26. annis. Interfuit concilio Constantiensi.
47. *Johannes de Holzingen* eligitur anno 1427. Præfuit 25. annis.
48. *Joannes de Hirnheim* eligitur Abbas anno Domini 1452. Præfuit annis novem & resignavit. Sub hoc Abbate anno Domini 1460. mutatum est monasterium Elefancense ex Abbacia in præposituram & monachi versi in Canonicos seculares. Ita Hirnheim.

Hinheimius primus hujus loci præpositus, Abbas verò ultimus fuisse legitur. Præpositorum series.

49. *Albertus de Rechberg*, secundus Elwangenensis præpositus eligitur anno Domini 1461. Præfuit annis uno & quadraginta. Obiit anno Domini 1502.

50. *Bernhardus de Westerstetten*, tertius præpositus eligitur anno 1502. Præfuit decem saltem mensibus, & magistratu ac dignitate ea sese abdicat eodem anno, quo assumtus est.

51. *Albertus Thumb* de Newenburg eligitur quartus præpositus anno salutis 1503. Præfuit annis 18. & resignavit (etsi sine consensu eorum, quorum intererat) Henrico Palatino Rheni. Ex ea resignatione orta est inter prædictum D. Henricum Palatinum ex una, & Decanum capitulumque Ecclesiæ Elephancensis ex altera parte, controversia insignis apud sedem Apostolicam, sed quæ tandem industria Gulielmi, Episcopi Argentinenensis, ac Philippi à Rechberg de Hohen Rechberg, Wormatiensis Præpositi & Augustani Decani, transacta & ad bonam concordiam perducta est.

52. *Henricus*, Palatinus Rheni & Bavarix Dux, (de quo plura lege in Episcopis nostris Wormaciensibus) assumitur in quintum hujus loci præpositum anno Domini 1521. Præest adhuc currente hoc Jubilæo. Voluit anno 1545. constituere sibi successorem, ad Cæsareæ & Regiæ Majestatis intercedentes preces, Wolfgangum, Administratorem Boruffiæ & ordinis Teutonorum in Germania & Italia magnum magistrum: sed quia Christophorus à Westerstetten, Augustanæ & Aichstetensis Ecclesiarum Canonicus, tunc temporis Elephancensis Decanus, una cum reliquo capitularium suorum senatu nollet consentire, sed Ecclesiæ suæ vetera privilegia constanter & mordicus defenderet, orta est inde in Romana curia nova controversia & contentio inter Henricum Palatinum & Wolfgangum, quæ hodie adhuc durat. Tantum habeo de Elephancensi Abbatia & Præpositura.

De Herriedensi vero Abbatia æque veteri, sed nunc in Ca-Herriedense cœnasticorum collegium mutata, nihil ferè aliud extat, quàm quod supra nobis.

Chronologia
Monasterio
S. III

supra etiam annotavi, inchoatam esse in honorem B. Virginis à Carolo Magno tum, cum Altmonum & Pegnesum, factis fossis prope Weissenburgense Norici oppidum, in unum amnem & alveum ducere conaretur. Audierat enim, pium quendam Eremitam, S. Deocarum in densissimis ibi nemoribus divinis cultibus studiose operam dare, quem cum aliquoties concionantem audivisset, & discipulos collegisse sciret, erexit ipsi Imperator non habitationem tantum, sed datis amplis facultatibus præclaram etiam ac amplam fecit Abbatiam. Hanc postea Arnulphus Imp. in Canonicorum secularium collegium commutavit, qui condidit templum majus in honorem S. Viti, in quo primus ejus loci Eremita & Abbas supra nominatus miraculis clarus curbare dicitur. De oppido vero Herriedensi pauca etiam adjicere hic libet, quòd videlicet anno Domini 1316. per quatuor menses obsidione cinctum & tandem vi expugnatum, captum ac vastatum sit miserrime ab Imperatore Ludovico Bavaro, sexta feria ante Dominicam Palmarum, eo quòd oppidani Friderico Austriaco contra Ludovicum verum Imperatorem à Romano Pontifice electo, constantius adhæsissent. Oppidum ipsum tandem reædificatum, paulo post incendio iterum periit anno 1450. ac rursus postea anno 1490. unà cum templo, quod instauratum est iterum anno 1493. Celebravit hoc oppidum D. Sebastianus Strobelius, doctus ejus loci Canonicus, schediastate elegiaco satis feliciter, quod in ejus gratiam & oppidi alioqui obscuri honorem huc apponere volui.

Herriedense Oppidum.

Altmulii juxta piscosi tarda fluenta

Urbs posita est, quondam Cæsaris illa fuit,

Herriedenà priscais vulgato nomine dicta:

Nunc Aistetensi à Præsule tecta, patet.

Non dicam hîc, muro quam sit circumdata pulchro:

Et celsas turres undiq; fortis habet.

Ars sed ipsa meis non hic dicenda Camenis,

Dædaleas credas quam fabricasse manus.

Sit satis hoc, quòd de vitanda ob fulmina Papæ

Expectare olim est Cæsaris ausa manus.

Pastor.

Pastoris tam magna fuit reverentia summi:

Quæ virtus aliquo digna favore fuit.

Canonicas miro concentu personat horas

Turba sacerdotum hic nocte dieq; suas.

Terra ferax, campus letus, quem ditat ubiq;

Uberibus verè frugibus alma Ceres.

Medio itinere inter hoc oppidum & Wassertruhendingam civitatulam est Regiæ aulæ Canonicorum secularium collegium, hodièq; tantum parochiale templum, sed magnificum, vulgò *Rhungschoffen* / in quo plurimi sunt insignes tumuli nobilium *Kbunig- regulorum à Seckhendorff.* Id fundatum & constructum est à *hofen.* Domina Anna Marfallina de Bappenheim, ex Preisingensi familia nata foemina, quæ illic honorifice sepulta. Obiit anno 1417.



EVERHARDICA CLUSA, vulgò *Eberharts-Klausen* / Epulcherrimum cœnobium regularium Canonicorum S. Augustini, tribus lapidibus à Treveri versus Hunnorum terga vel præsidia situm, ex elemosynis utriusq; sexus hominum, certatim undiquaq; ad D. Virginem ex omnibus provinciis concurrantium, hoc modo emerfisse ibidem legitur.

Erat anno Domini 1440. laboriosus quidam, rusticæq; & vitæ & artis homo omnino simplex, Eberhardus nomine, ex pago *Eberhard-Esch* oriundus, agricola, vinitor & sector straminum in usum & *rus- pastum* jumentorum, virginitatis ac pudicitiae summus amator, *cus.* qui ob devotionem, quam à pueris conceperat, maximam erga Matrem Domini, beatissimam Virginem Mariam, stipitem quandam in loco isto tunc temporis deserto terræ infixit, & in eo superius excavato imaginem tristissimæ ac dolorosissimæ *Matris*, in gremio extinctum habentis filium, collocavit. Is postea *Exstru-* à gloriola Virgine admonitus & coactus domunculam parvam *tio mo-* eidem ædificavit, & sublato stipite, illam ipsam imaginem, ad *nasterii.* huc eo loci præsentem suoq; precio Treveri prius emtam, in priori muro domunculæ reposuit. Ubi cum miracula plurima fierent, & oblationes innumeræ quotidie accederent hominum, religionis ergò eo catervatim venientium, mox his oblationibus adju-

Z

adju-